DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A D...

Aloysius Cortez y Rodriguez,
Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

ALOYSIUS CORTEZ Y RODRIGUEZ

Felicitatem.

I*N more poſitum eſt iis*, Beatissime Pater, *qui opus aliquod conſcripſere, illud ſummo doctrina atque auctoritate viro nuncupare, ut vel eum ſibi pro-*

Digitized by Google

mereantur, vel ſtudia ab eodem ſua probentur, vel fructum aliquem ſentiant lucubrationum ſuarum. Ego vero hanc, quam habui de Sanctiſſimo TRINITATIS *Myſterio orationem, cum Tibi tum omni virtutum genere, tum dignitate inter homines maximo dedicatam volui, nulla nimirum, ut id facerem, ex allatis cauſa adductus ſum. Neque enim laborandum mihi eſſe judicavi in captanda benevolentia Tua, cum Ipſe ultro humanitate prorſus incredibili ſingulos complectaris, qui in Collegio Clementino cenſemur: neque ſane ea eſt Oratio mea, ut ipſam dignam exiſtimem, quæ*

Tuis oculis ſubjiciatur: eam enim ſentio nullo ſermonis nitore, nulla eloquendi copia pro argumenti majeſtate commendari. Quemnam autem uberiorem ex re adeo tenui fructum conſequi me poſſe ſperabam, quam ſanctiſſimo Tuo paginam hanc nomine inſcribi potuiſſe? Igitur ad pedes Tuos provolutus cum eandem ad Te defero, id cogitares vellem, me nempe facere, quod debeo: munuſculum enim hoc meum quantulumcumque eſt, totum eſt Tuum. Quid enim Tuum magis quam id, quod ab uno ex Tuis profectum eſt? Omnes vero, quotquot in Collegio Clementino bonis artibus, moribuſque infor-

mamur, jure Tui cum ſemper fuimus, tum præſertim ab eo tempore habendi ſumus, ex quo clementiæ Tuæ viſum eſt in Tuam Collegium hoc noſtrum clientelam recipere, ac Tuo numine tueri. Itaque, BEATISSIME PATER, *ſi eorum, quæ dixi, rationem habebis, haud ſane dubito, quin & munuſculum ipſum, & deferentis voluntas majorem quam mereantur (merentur autem nullam) apud ſingularem humanitatem Tuam gratiam inveniant. Interea rogo Te etiam atque etiam, ut Tua me Apoſtolica benedictione à Te diſcedentem auctum dimittas.*

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

VETERI Hebræorum Religioni, BEATISSIME PATER, hanc noſtram à Chriſto conſtitutam, longe anteire, cum toties gratuler mihi, quoties, præſtantiam utriuſque ac ſanctitatem confero: numquam tamen geſtio magis, quam, cum admirandum Sanctiſſimæ TRINITATIS myſterium effuſa, ut par eſt, veneratione contemplor. Quemadmodum enim antiquo abrogato teſtamento, excuſſo veluti quodam quaſi jugo, qui ſervi antea habebamur, iidem Dei modo Filii nominamur, & ſumus ad æternam

Paul. ad Gal. cap. 4.
Joan. 1. cap. 1.
Paul. ad Hebr. cap. 9.

nam hæreditatem vocati: ita ut excellens hoc nobis beneficium ſplendidiori majeſtatis ſuæ; atque in nos benevolentiæ ſignificatione præſtaret; naturæ amplitudinem ſuæ creatam omnem cogitationem exſuperantem TRINITATE Eccleſiæ revelata patefecit. Itaque mihi jam liceat inauguſti hujuſce diei claritate intimos lætitiæ meæ ſenſus palam aperire, ac credentium omnium Pontifici Maximo, ampliſſimoque huic Chriſtianæ Reipublicæ Procerum conſeſſui tantum bonum gratulari, itemque univerſæ hominum concioni in nomine venerandæ TRINITATIS congregatæ; quod ſingulorum, fidei, ſpei, & caritati in Deo ipſo tribus nempe in Perſonis, id fuerit propoſitum; in quod ceu in ſcopum ex præſtantiſſimis hiſce virtutibus unaquæque dirigatur, atque in eo conquieſcat. Ex quo quidem cum ſingulare in Religionem noſtram decus emanavit, tum illud etiam, quo nihil præſtabilius eſt, ut præ antiquo perfectiori modo, ac cumulatiori obſequio Deus à credentium univerſitate colatur. Namque etſi doctiores Hebræorum Patres non inveſtigabilem Dei naturam tribus mire perſonis communicatam divinarum literarum Oraculis indicatam rimari atque intelligere potuerunt; reliquæ tamen mul-

Ex 1. Gen. ut Auguſ. de Trinit. cap 7. Cyrillus Alex. lib. 1. Theſau. ad Jul. Baſilius lib. 4. contr. Eun.

multitudini obſcuris ita ſpiſſiſque tenebris obtendebatur, tamque erat ab illius cogitatione ſemota, ut nemine oſtendente fieri haud poſſet,ut perſonarum in Deo diſcrimen aſſequeretur. Factum proinde eſt,ut in Deo Omnipotentiam agnoſceret quidem, Sapientiam itidem, ejuſque erga homines Amorem: ignoraret autem tria hæc egregia adtributa divinas totidem innuere perſonas, quarum unam credentium olim quiſque Patrem, Filium alteram, poſtremam tandem amborum Spiritum fateretur. Hinc ſive Moabitarum, Amorrhæorum, cæterarumque finitimarum nationum copiis Gens illa premeretur, ſive in ſervitutem deducta ſuper flumina Babylonis ſedens lugeret, ſive Ægyptiorum Chaldæorumque ſolutis vinculis in libertatem aſſereretur, Exercituum Domino, pacis ac bonorum omnium largitori munificentiſſimo, ut hoſtes circumfuſos deleret, lacrymiſque finem imponeret diuturnis, vota nuncupabat: mæſtoque aliquando ab exilio revocata gratias eidem aut demerſis Ægyptiis, aut Aſſiriis profligatis, aut pacatis Perſarum Regibus referebat: preceſque ipſa ac laudes cum effunderet,uni certe Deo cultum fide ſpe caritate excitata præſtabat; gratos autem ſingularum virtutum ha-

Ex Gen. 11. & 19. ut Juſtin. in Dialog. cum Trifon.

Numer. cap. 21. & 22.

Reg. cap. 25. Pſalm. 136. Exod. 3. Eſdr. 1.

Exod. cap. 4. Judith. 14. Eſd. 4. Eſth. 6.

harum affectus ſingulis ſciens minime perſonis exhibebat. Jam vero quantopere nobis lætandum eſt, quippe qui patefacta in Deo perſonarum TRINITATE opera quidem omnia Deo tribuenda eſſe ſciamus, ita tamen, ut quædam Patri, Filio altera, alia demum Paraclito magis convenire intelligamus? Ita enim nobis datum eſt, ut Deum Optimum Maximum, ejuſdemque arcanam naturæ præſtantiam fide in Patrem, in Filium ſpe, caritate in Spiritum Sanctum tendentes, quantum humana mens poteſt, clare veneremur. Quo ſane Chriſtiano homini nihil glorioſus, nihil beatius contingere umquam potuit: quid enim excellentius, quid jucundius, quam eximiis hiſce animi affectibus ſummiſque virtutibus finem eſſe declaratum, quo ſeorſum pro ſua ſingulæ natura jucundiſſime fruantur? Quam ſane jucunditatem incredibilem, divinamque prope ſuavitatem cum Sanctiſſimus Catholicæ Eccleſiæ Antiſtes, tum vos, Patres ampliſſimi, ſeduli ejuſdem virtutum imitatores, cum enixis acceditis ad Deum precibus, abundantius, dulciuſque deguſtatis, quam ego poſſim dicendo indicare. Quamobrem quid aliud reſtat, niſi, ut quod facitis quotidie, id reliquis commendem divinæ cultoribus TRI-

NITA-

Digitized by Google

NITATIS, ut in difficillimis hiſce Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, quibus in eam malorum omnium erupiſſe maturitas videtur, impenſe faciant. Habemus profecto, quod a divina Patris Omnipotentia petamus, habemus quod ſperemus a Sapientia Filii, quod ab Spiritus utriuſque Bonitate impetremus. Noſtris obſtrepit auribus militum clamor, ac ſonus tubarum, bellorumque undique ingruentium furor. Provinciarum fere omnium, Regnorumque niſi lacrymas oculis cernimus, ejulatus certe longe etiam exaudimus. Vaſtitas ubique pene facta eſt, ſanguine Europa Chriſtiano redundat, & majora jam mala cum immineant, ad arma tamen ardentius neſcio quo impetu miſero funeſtoque concurritur. Omnipotentis voluntatis ſuæ nutu a Chriſtianorum finibus bellum Pater exterminet; idque Fides noſtra obtineat, quæ de ipſo credit, ac prædicat magnificentiora. Mitia in conſilia paciſque ſocia, quæ immitia hactenus armorumque tantummodo fuerunt, convertat Filii ſapientia, voceſque Reges audiant pacem hortantes ex ſuprema hac Beatiſſimi Petri Sede certiſſima veritatis magiſtra, atque arce ſecuritatis inconcuſſa toties profectas. Id vero ſpes noſtra conſequatur, quæ ſæpius aliis a

Ver-

Digitized by Google

Verbo expleta beneficiis, ab eodem ſibi cuncta non modo humana, ſed cæleſtia quoque bona pollicetur. Armis denique abjectis, pulſis ſimulatibus, odiiſque extinctis divinæ Caritatis ope miteſcant ſecula, ſuoque hominum pectora Amore ita accendat Paraclitus, ut fide ſpe caritate Deo conjunctæ, atque inter ſe conſociatæ nationes omnes perpetuo Sanctiſſimam TRINITATEM obſequio proſequantur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google